

II.  
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 94.

---

*Elysiun-Meum, Die Veneris 28, Dec. 1810 (Neov. 14, Dec. 1810.)*

---

Vos! quorum tumulus, viridi jam gramine tectus —  
Dum plenae lucus lunae nitet ignibus; Umbrae  
Exsurgunt, vestrae, tacito de littore Lethes —

*Spectrum Caroli XI. Regis Sveciae. Griphis-  
holmia. Gustavus Adolphus.*

**P**raesentiendi et consentiendi affectus fata,  
quae aetati certae hominum moderantur, vi-  
get ceu obscurum quoddam et vaticinicum re-  
rum germen in pectore fortassis cujusvis Syn-  
chroni. Ita fit: quod spectra et visiones exori-  
antur; quis non meminit horribilis vaticini-  
i Nosterodami? omnis ferme gens suum habuit  
Nosterodamum. In Svecia plebs diu mul-  
tumque suspicionibus, fabellis et divinationi-  
bus distinebatur, quae novissima turbida  
tempora Gustavi IV. Adolphi aerumnaeque,  
quas sinistra ejus perseverantia Svecico Sta-  
tui injecerat, majorem auctoritatem, emi-  
nentiorem probabilitatem impertivere. —  
Praeprimis vetus de spectro fabella ferebatur, de  
spectro, quod Carolo XI adparuisse dicitur,  
quae jam ante diu plurimum traditione pro-  
politica raritate traducebatur, quin origo ejus  
sciretur, deque qua erant qui memorarent:  
eam ex originali Diplomate Regni Archivo  
contento descriptam esse. Postremis fatorum

plenis annis cum fide in lemures et spectra etiam descriptiones multiplicatae. — Ex Svecia narratio ad exterarum oras perlata. — Fama propagata et argumentum visionis Caroli XI. leviter indicatum. Prima typo excusa Editio, quae interim documentum fidei in spectrum plene largitur, est fasciculus IV qui Hamburgi apud D. Fr. Perthes prodiiit admodum svavitate sua allicientis *Patriotissae Musaei.*”

*Spectrum Caroli XI.*

„Ego Carolus XI. hodie Rex Sveciae nocte 16 et 17 Dec. intercedente 1676. praeter morem melancholico morbo meo vexabar. Experrectus media 12. cum forte oculos in fenestram converterem, animadvertentemque vivaci luce Oecum Equestrem collustratum esse; quo animadverso dicebam meo Regni Drostio *Bjelke*, qui juxta me in Conclavi erat: quid significat fulgor ille in Oeco, videtur mihi ignis erupisse? Minime, reponit ille, lunae fulgor est, qui fenestram ferit „huic ego responso adqueivi, et quietem capturus parietem versus me convertor, at incredibili anxietate perfusus, me antrosum verto iterum, et rursus fulgorem videre videor; tum ego: hic non recte res se habere debet.” — Nihil, inquit eximius ille, et dilectus Imperii Officialis *Bielke*, nihil praeter lumen lunae est. Eodem illo temporis articulo Imperii Cousiliarius *Bjelke* conclave subito sciscitaturus de mea valetudine; quaerens eo anxia voce: an nihil de quopiam in-

fortunio aut incendio in Oeco Imperii ser-  
perisset? ille, postquam paullum morae indul-  
sisset, reponit: Nihil, Deo sint laudes! nihil  
hoc lumen aliud praeter lunae lumen, quod  
fenestram ambiens ardentis Oeci Imperii spe-  
ciem praebet, cui ego dicto paullo rursus  
adquievi, verum, vix denuo oculos detor-  
queo, animadverto, videorque videre homines  
ei inerrantes; quo viso, lecto me proripio ve-  
stem lucubratoriam induo, et ipse accedo  
fenestram, eam aperio, advertoque Oecum  
luminibus redundare, tum ego: „Boni viri!  
hic res non optimo loco.”

Vos fiducia freti: Dei reverentem nihil  
in mundo verendum habere, nihil ultra cu-  
ratis, at mihi animus eo accedendi, quaesitu-  
rus: quid rei esse possit, tum eos, qui coram  
erant, vigiliarum Praefectum adire jubeo  
eumque, ut cum clavibus compareat evoca-  
re; postquam ille advenisset, eo comite subi-  
bam ambitum obseratum Conclavi meo im-  
minentem ad dextram Gustavi Erichsoni —  
(probabile Gustavi Vasa I. filii Erici Vasa)  
dormitorium. Eo veniens jubeo Vigiliarum  
magistrum reserare fores, at ille anxietatis  
plenus, ut hoc eum officio absolvam enixe  
oravit; jubeo dein Imperii Drostium, at  
et hic deprecatus, jubeo Consiliarium Regni  
Oxenstierna, qui nunquam anxio animo, imo  
intrepido semper fuerat, at ille reponit: equi-  
dem sacramento obstrictus sum, vitam et  
sanguinem pro salute Majestatis fundere, at  
hanc ego Januam nunquam reserabo, „quibus

ego auditis fateor ipse animo linqui occoepi, mox collegi spiritum ipse claves tremulanti comiti adimo, conclaveque resero. — Ingressi cubile ipsum pavementum pullo undique panno vestitum deprehendo. Ipse et socii tremulo gradu procedimus.

Inde ad Januam Oeci Imperii accedimus. Hic rursus Vigil. Magistrum jubeo aperire, at ille iterum obsecrare: ut unam hanc ei gratiam largiri, et sibi parcere dignarer. Jubeo reliquos comites, qui aequae obsecrare et veniam orare. Quare arripio ipse claves, resero fores, at vix pedem infero, percussus, eum subito retraho, hoc ego parumper adhaesi mox resumo animo socios affatus: „Mei Domini! si me sequi lubet, experiemur, ut se res isthic habeant, fortassis Divinae bonitati quaedam nobis revelare videbitur, omnes conclamant „Lubet” quo dicto cubile simul ingredimur. Mox animadvertimus magnam mensam 16 venerabilibus viris obessam, in medio juvenem Regem 16, 17, 15 annorum, diademate redimitum, sceptrum manu tenentem. Ad dextrum latus sedebat procerus, formae elegantis, vir, annorum circiter 40. vultus ejus animi honestatem indicabat — ad laevam senio confectus 70 circiter annorum vir. — Id singulare, adolescentem Regem saepius caput agitasse, cunctis venerabilibus viris manu fortiter libris incutientibus. Tum oculos ab iis avergens pone mensam lictorem juxta lictorem ꝑarnificemque adverto, omnes attracta linea

veste capita continuo demetentes ut rivus sanguinis oriretur in pavimento. Deum testor me ultra modum angi caepisse, aspicio calceos meos an sanguine conspersi essent, sed nihil erat. —

Decollati plurima parte Juvenes Nobiles erant. Averti horroris plenus oculos et ex averso mensae in angulo thronum animadverto qui pene inversus erat, et penes, virum formam Vicarii Regni praeferentem, annorum circ. 40. Tremebant ossa pavore, plenus tremore juvenam versus me recipiens vociferor: Deus! quando haec fient! quae vox Domini, quam excipere me oportet? — clamo idemtidem: O Deus, quando haec evenire debent? at nullum audio responsum; juvenis rex versare caput frequentius, venerabilibus viris manu libros suos percutientibus fortiore: dignare Deus rationem mihi indicare qua me agere oporteat! tum juvenis rex respondere: non id fiat aetate tua; sed tempore sexti, a tuo, regiminis, eritque aetate formaque similis qua me vides, hicque quem adstare cernis, revelat: tutorem ejus vultum eundem, quo hic praeditus, habiturum, soliumque ipsis postremis tutoris annis per quosdam juvenes nobiles occasui accedet, verum tutor, qui sub ejus imperio juvenem principem persequitur, ejus causam defendendam suscipiet, et solium ejus adeo firmum reddet, ut nullo ante tempore tam potens Rex Sveciae fuerit, nec postea futurus, quam iste erit, et populus Svecicus ejus aetate felix reddetur, et raram

actatem attinget, regnum debitis carens relinquet, pluresque milliones in thesaurario. Verum ante quam solium suum firmare poterit, magna sanguinis profusio erit, qualis nullo ante tempore in Svecica patria fuit, nec unquam posthac erit amplius. Tu, utpote Svecicae terrae rex, bona tua ei transmittite praecepta" — quibus dictis totum disparuit, nos soli cum luminibus nostris attoniti constitimus, summoque percussi stupore, ut cuiusvis facile illucere potest, loco discessimus. Cubile atro panno vestitum ad quod reversi, aequae disparuit, omniaque pristino restituta reperimus ordini. — Ascendimus ad conclave meum, e vestigio assedi mensae scripturus sequentes adhortationes pro viribus. — (admonitiones obsigillatae continentur, de rege ad regem reserantur, leguntur et sigillo rursus obserantur). Et omnia haec vera sunt, quod corporali iuramento confirmo S. M. D. A.

Carolus XI.

hodie in Svecia Rex.

Omnia in loco ut praesentes testes vidimus, quemadmodum Regia Majestas adnotavit, corroboramusque corporali nostro Iuramento I. n. D. a.

Carolus Bjelke U. W. Bjelke A. Oxenstierna.  
Imperii Drost. Imp. Cons. Imp. Consil.

Petrus Grauslen

Pro Vigil. Magister.

Adparitio haec, cujus Echo tam tetrum, tragicumque, qualis Gustavi Adolphi, animum corripere debuit, lucem quoque adfundit

mirabili propensione, qua in arcem Griphisholmiam ferebatur. 7 Svecicis seu denis germanicis milliariibus Holmia dissitam. In hac Ericus XIV Magni Gustavi Vasa senior filius, cujus animi indoles Gustavo IV. Adolpho multum similis, eo duntaxat cum discrimine: quod ille eximio polleret ingenio, virtutumque ac vitiorum majore splendore fulgeret, personam suam in Svecia notabilem exegit. —

Non ut exauctoratus rex, sed ut vulgaris delinquens claustris Griphisholmiae concludebatur, hodie dumque ostenditur foedus carcer, quo biennio prope continebatur. Est is formae ovalis ergastulum in tertia con- tignatione, turris rotundae inter austrum oc- casumque, 8 circ. pedum in diametro ita structum ut excubiae illud obire potuerint, fe- nestris foribusque solidis ferreis cratibus fir- matis. Portae lignae ferro aeque circumduc- tae triangulare inest foramen probabilius dapibus ei inferendis serviens. Camini nul- lum superest vestigium, bene vero pedum infelicis principis. —

Hiatus cratum, quo per aliam magnae turris aperturam, qua ergastulum hoc conti- netur, versus australem inter et occidentiam plagam patet prospectus, profecto saepenu- mero delicias mundi in oculos Ei revexit, desi- deriumque excitavit, quippe tam frequenter, ad eum constitit, ut ambo ejus pedes pavi- mento ligneo impressi fuerint. Hodie dum irati inquietique Erici manus huic loco iner-

tant. Haec narratio, et credulitas in arce communis est, nec facile aliquis sine comite hunc Carcerem accedere audet.

Praeter excelsam hanc umbram alii minores oberrant, atque moesta fata Griphis-holmiae imminere videntur.

Iste erat locus, quo paucis ante annis haereditar. princeps Badensis Sveciae vale-dicebat, Germaniam repetiturus. Prædie dis-cessus ejus umbra binis fidedignis viris ad-parebat, quemadmodum mox plures ex aula Regia narrabant, sequente luce currû inver-sus, mortem obiit.

Joannes quoque Rex quadriennio Griphis-hol-mensi carcere continebatur ad mortem damna-tus ut seditiosus in fratrem et Regem, et in eum conjectus est. — Ericus vitae veniam ei dedit, atque in custodia sua principe di-gna tractandi ratione eum prosecutus, imo et consortio uxoris Catharinae Jagellonicae frui ei indul-sit, at Joannes postmodum nobili huic Erici XIV. animo turpiter vicem reddidit.

*Continuatio sequetur.*

---

quid? amabo, an pallium?" absit! gratiosè herule! Superpelliceum; & hoc coloris obscure coerulei esse oportet.

Postquam elegantulus noster de integro indutus erat, effigiem suam in speculo contemplatur, lepidaque forma percultus Dominum de la Couture affatur "placeat, quæso, expendere diversos colores in in hoc vestimento: Galerus meus primam facit figuram præaltus est, atrique Coloris; superpelliceum secundam efficit corporis cincturam, quæ obscure coerulea est; inferiores & breves saltim dependentiæ vestis mæ sunt osseo ex cinara confecto similis coloris, braccæ, quæ multum in oculos incidunt, mixtum sale pipereque colorem exhibent; cappæ ocrearum mentum flavidi, reliqua pars nigri coloris — per Coeli amorem, oro: an ulla avis Asiæ aut Americæ existit, tam diversicolor? — „At, herule! reddebat D. de la Couture; meminisse dignetur: se secundum *recentissimam modam* vestitum esse, & hoc est maxime *essentiale* inter elegantes hujus sæculi" — promptum hoc D. de la Couture obsequium, & lepidam sæculi hujus *essentiam* non leviorumensæ sudore a parum prudente adolescente (potius parentibus) redimi debuisse, *annotatio est versoris.*

---